

Guttur quo nullum resonantes purius auras
Amabili implevit sono:

Guttur quo nullum teretes demulserat aures
Vel plenius, vel dulcius,

Sive graui, seu voce melos resonaret acuta,
Clarumve fuscumve modulans,

Æterno infelix (ah fata, ah aspera fata)
Damnauerit silentio!

Non igitur deinceps, mea dulcis auicula, tecum
Curis solutus colloquar!

Nec Domini digitum multo cū murmure punges,
Et rostro, & alis increpans!

Nec Domini subito blando pacata susurro,
Pascere eiusdem manu!

Nec lucem arguta venientem voce salutans,
Pigrum excitabis ex thoro!

Nec te cunctarum volucrum referente canores,
In te unica omnes audiam!

Finieris igitur, mea dulcis auicula, postquam
Mortis necessitas iubet:

Finieris, inquam, pariter vitamq; modosq;
At canere tibi non desinam.

Quin potius numeris numeros pensabo vicissim,
Cantusque referam cantibus:

Vt cuius nequirit voces perferre, canorum
Inuita Mors tumultum audiat.

PSEVDO